

sed & aperte significant Moguntini, dum, se de sex propositionibus rogatos, ajunt: Quoniam a Facultate nostra Theologica petuntur, ut sententiam de sex propositionibus, inter Academia Lovanienfis Doctores, & Societatis Jesu Theologos, controversis, sententiam ferremus &c. Quod minus vere dicentur, si de triginta quatuor rogati essent, e quibus sex precipuas felegissent.

Atque hoc ipsum est, quod objiciebam, levitatis argumentum. Nec immerito. Equae enim ratio, quae forma juris permittebat, ut, brevi inspecta lacinia, ab ipsis reis transmissa, de tota Lovanienfi Censura decernerent, & Theologos, a quibus lata fuerat, naso suspenderent? Unde noverant, totius rei cardinem sex illis propositionibus verti, de quibus sententiam rogabantur, si reliquis ignorabant, quae ne transmissae quidem fuerant? An forte, quod ita supplices scriberent, seque ad ea capita totam ceterarum propositionum summam revocasse, dicerent? At imprudenter reis fides habebatur, quos suspicari facile erat, minus invidiosas propositiones, minusque censurae obnoxias obtulisse, ut illarum absolutio nem facillime extorquerent. Quamquam ergo sex illae transmissae propositiones, a Germanis Theologis absolutae, totam omnium triginta quatuor propositionum summam re ipsa complecterentur, (quod expendere in praesentia non possum, quia nec illas videre contigit, nec illas decreto suo inferre Treverenses, & Moguntini) vel ob id unum in levitatis notam incurrent, quod ita ex supplicum fide posuissent, nec inspecto Instrumento judicium festinaissent.

Syndicum, Juris utriusque Doctorem, ad Jurisconsultos amandare, fat erit, ut eam judicandi formam levitatis, ne quid pejus dicam, ab illis damnatam, intelligat. Scriptura alicujus non est de facili redarguenda, nisi prius ponderetur tota vis scripturae: Abbas Panormit. in Cap. Cum adeo 17. de Rescriptis, num. 1. Ubi una scriptura se refert ad aliam, utraque est edenda: Parisius in Additionibus ad Bartolum, ad Rubricam c. de edendo. Si a parte ad suum commodum fiat iudicium editio Instrumenti, vel Privilegii, debet fieri de tota Scriptura; immo etiam de additione: quia esse possit aliqua particula, quae corrigeret, & limitaret praecedentia: Bartolus ad Rubricam Digestorum de novi operis nunciacione, num. 7. & 8. & Abbas Panormit. in Cap. Contingit 3. de fide Instrumentorum. Sed ante hos omnes Sanctus Eulogius Alexandrinus, Libro contra Severianos, & Trithemias, si Photio quidem fides est, Codice 225. Constituit Legem, & Canonem, Scripta disjungere non oportere ex parte, neque fragmenta quaedam sumendo ex his detorta, de Scripitoris mente iudicium ferendum.

VI. Sed quid tandem? Brevem illam meam in iudicia Moguntinorum, & Treverensium animadversionem digna observatione definiebam: Episcopos scilicet bene multos, aliosque meritissimos viros volutaria iudicia despectisse, contempnissse. Huic nigrum theta praesig Syndicus, nil tamen in oppositum regetis, non alia forte de causa, quam quod a me fuerit ineluctabiliter demonstrata. Res mutuo conferre, satis fuerit. Lovanienfes Theologos nodum in seripo quaesivisse potius, quam veritatem illustrasse, pronunciaverant Treverenses: eodem illos, ad Stoicos errores Calvinistarum viam quasi straxisse, dixerant Moguntini; contra vero Episcopi Belgae, necnon Canonice Ordines, lapsi Censuris calculum adiciebant. Litem hanc, importunissimo tempore a Lovanienfibus motam, Germani censuerant; eandem Episcopi hac ipsa aetate non movebant modo, sed Lovanienfibus ad iudicabant. Notata ab Lovanienfibus Dogmata,

nec peregrina, nec offensiva, nec haeresi affinia; sed ab omni haeresi, errorisque suspicione aliena; immo ad omnium adificationem, doctis omnibus comprobantibus, aut saltem non contradicentibus, in scholis tradita, typisque vulgata, Germani gemina Academia Theologi iudicaverant; Episcopi contra, tanquam Pelagianae sectae reliquias; toto Belgio Synodorum auctoritate proscribendas; existimabant. An non id amabo est, Treverensium, & Moguntinorum iudicia despicere, contemnere, & volutatic habere? Num ita porro se res haberit, ipsa mihi testis Societas erit, sicubi unquam, hac certe occasione, omni exceptione superior, in Imagine primi saeculi, Lib. 6. Cap. 4. p. 848. Adversarius, nostrum dedecus indelesenter urgentibus, major Episcoporum pars, & quadam Collegia Canonice, geninis duarum Academicarum Censuris calculum adiciebant. Michliniensis vero, & Cameracensis Metropolitae Synodum parabant Episcoporum, qui dogmata nostra, a duabus Facultatibus damnata, discederent, eademque toto proscriberent Belgio, tanquam impias Massiliensium, aut Pelagii reliquias; adeoque Societati notam inveniunt haereticae praevitatis. Et erit post hac, qui me Treverensis, & Moguntinorum iudicia plus aequo despectisse, dicat, illatamque injuriam expulset? Nemo, puto, nisi qui illis susceptae laeae Sacramento suam obtinuerit fidem, & religionem obligarit. Verum illum rerum suarum immodicum aestimatore, ceteri dicent, qui, libero affectibus animo, de tota hac nostra disceptatione iudicabunt.

Interea iudicia, Treveris, & Moguntiae lata, praesentio, quae dictis haecenus fidem asserent.

Judicium Theologorum Academiae Treverensis.

VII. Prodiit superiori anno Censura Theologorum Facultatis Theologicae in Academia Lovanienfi, qua, tanquam peregrinas, offensivas, periculosas, haereticasque vicinas, damnant, atque rejiciunt sex Propositiones a Professoribus Societatis Jesu, in scholis suis Lovanii doctas, & publice traditas; de quibus rogati, ut nostrum iudicium communicarem, negare non potuimus id officii, quod veritatis confirmationi debetur.

Atque in primis, ut, quod res est, sincere fateamur, videntur Doctores Facultatis Theologicae Lovanienfis nodum in seripo quaesivisse potius, quam veritatem illustrare voluisse; quando hanc litem importunissimo tempore excitarunt. Qui enim fieri potest, ut illa dogmata peregrina, offensiva, & haeresi affinia sint, quae Romae, in conspectu Summi Moderatoris Ecclesiae Catholicae, a viris undequaque doctissimis traduntur; in Hispaniae florentissimis Academicis, ubi rigidissime omnia solent, & accuratissime examinantur, quae vel haeresim sapere, vel offensionem parere, aut periculum erroris procreare possint, proponuntur; in Germaniae Catholicis Academicis sine scrupulo inter medios haereticos cum laude magna docentur, & pari utilitate propugnantur? Immo & ab ipsis antiquioris Lovanienfis Academiae Doctoribus, quorum doctrina fulget ut Sol, in Ecclesia Christi, publicis scriptis in lucem sunt edita, atque frequenter typorum repetitione, doctorumque virorum calculis, tanquam solida, & firma, comprobata: ut proinde non immerito, qui veritatem sincere amant in Doctoribus Lovanienfibus desiderare possint illud: Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi; neque transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui; id est, viri, ob singularum

pietatem venerandi, & ob excellentem eruditionem, a filiis non deferendi.

Non debet sane peregrinum censer, quod cunctis fere privatis inter, & publicos parietes commune est: nec offensivum iudicari, quod a viris & doctrina claris, & salutis publicae studiosis, ad omnium adificationem, doctis omnibus comprobantibus, aut saltem non contradicentibus, in Scholis docetur, & typis vulgatur: nec periculosum haberi, quod sine periculo suspicione, ubique locorum, cum celeberrimorum Scholarum consensione, & discipulis traditur, & posteritati consignatur. Ad haec, haeresi non est affine pronuntiandum; quod nullis sacrae Scripturae sententiis, nullis Conciliorum Decretis, aut Pontificis Maximi definitionibus adversatur; cuiusmodi sunt omnes sex Professorum Societatis Propositiones: ut illis clare constet, qui his in studiis vel mediocriter versati sunt.

Censuram itaque, utriusque partis, tam Censuram scilicet Lovanienfium, quam Professorum Societatis Jesu asserentem, quas ante hoc nostrum iudicium posuimus, in Theologorum Scholis, atque Academicis haecenus existisse probabiles, ac fundamentis solidis, quantum rerum natura patitur, firmatas, atque corroboratas; ideoque temeritatis nota, atque corrupti iudicii suspicione vacare non posse, qui vel damnare vellet, in rebus his gravissimis, quod nec a viris sapientibus unquam alias damnatum vidit, nec ex munere suo damnare potest, vel doctis, ac piis viris, alteram partem amplectentibus, ac docentibus, infamiae, arrogantiae, aut erroris notam impingere.

Addimus etiam illud censendi, seu determinandi munus, non ad Theologos Lovanienfes pertinere, sed ad eum, quem Christus, & Mundi Servator, Ecclesiae suae praefecit, quemque huiusmodi controversiarum iudicem, ac Doctorum omnium Doctorem esse, voluit.

Porro, quamvis ignoremus, quo consilio haec sententiarum disquisitio, & Theologorum minime necessaria altercatio hoc tempore sit excitata; illud tamen unum certo nobis constat, multo consultius, atque adeo honorificentius Censuram futuram fuisse, si, dum hoc diffiduum sine solido fundamento fabricatum fuit, paci Patriae, concordiae publicae, & extirpandis erroribus invigilatum fuisset maxime. Quod si res ad trutinam aequa lance expenderetur, forte aliquot Censuram propositiones magis, quam Professorum Societatis Jesu, haereticorum erroribus favere videbantur; quippe quae bona opera ex parte impugnant, & Arbitrii humani libertatem vehementer constringunt.

Haec tamen omnia sic volumus a nobis dicta, & scriptis mandata, ut utriusque partis propositiones in ea veritatis, atque probabilitatis affirmatione maneant, quam huc usque in scholis obtinuerunt, & etiamnum in doctissimorum hominum opinione obtinent, donec Summus Ecclesiae Catholicae Pastor, quid verum, aut falsum sit, decernat, Treveris, Kalendis Junii 1588.

Petrus, Suffraganeus, Doctor Theologus, Procellarius Universitatis.

Petrus Pollius, pro tempore Theologicae Facultatis Decanus.

Joannes Gibbonus, Sacrae Theologiae Doctor.

Joannes Macherenus, Sacrae Theologiae Doctor.

Hermannus Sandartius, Sacrae Theologiae Doctor.

Ambrastus Carolus, Sacrae Theologiae Doctor.

Hadrianus Vanden Bruele Herentalen, Sacrae Theologiae Doctor.

Serry Tom. II.

Jacobus Fischerus, Sacrae Theologiae Doctor.

Judicium Theologorum Academiae Moguntinae.

Quoniam a Facultate nostra Theologica petuntur, ut sententiam de sex propositionibus, inter Academia Lovanienfis Doctores, & Societatis Jesu Theologos, controversis, ferremus, non potuimus, non tam iuxta petitioni facere satis, & breviter iudicium nostrum in veritatis patrocinium hoc scripto communicare. Fatemur, itaque, non parum nos mirari, quomodo Academia tam celebris, difficillimis huiusce temporibus, tam gravem litem de Propositionibus plerisque, omnibus probabilibus, hoc est, quae, salva fide, in utramque partem disceptari possent, excitaverit; quae nisi tempestive sopiatur, verendum est, ne non modo vivam inuniat ad aliquid schisma, sed haereticis quoque per Galliam, & Germaniam, ubi innocuerit, materiam suppeditet insolentium in Catholicos debacchandi: maxime cum haecenus nullo fere in vulgus plausibilius argumento ostenderimus, apud Lutheranos, & Calvinistas veram Ecclesiam esse non posse, quam quod omnia sint diffensionum apud ipsos plenissima de rebus gravissimis.

Quod autem ad dictas sex Propositiones, quas Doctores Lovanienfes improbarunt, & condemnarunt, attinet, arbitramur, eas, secundum explicationem a Theologis Societatis Jesu eis adjectam, esse ab omni haeresi, errorisque suspicione alienas, & Catholicae Doctrinae, in scholis receptae, congruentes. Ceterorum vero Doctorum Lovanienfium propositiones, his contrariae, etiam probabiles sint, & ab haeresi alienae, tamen quadam, ut quae de Praedestinatione, & libero arbitrio agunt, videbantur nobis aequo duriores, eo quod viam quasi sternere putarentur (nisi sua quoque explicatione molliantur) ad stoicos errores Calvinistarum de Praedestinatione, & libero arbitrio, Moguntiae Kalendis Maii anno 1588.

Vitus Milerus, Sacrae Theologiae Doctor, Ecclesiae Sancti Mauricii Moguntiae Praepositus, & pro tempore Facultatis Theologicae Decanus.

CAPUT V.

Preceptum nimis, ac subita Doctorum Theologorum inauguratio in quibusdam Germaniae Academicis merito suggestata. Numeratae pecuniae suspicio, ad extorquenda quarundam Academicarum iudicia, haud temere obsecurata.

PRaeceptum nimis, ac subitam Doctorum Theologorum inaugurationem in Moguntinis, & Treverensibus obiter fugillavi, Lovanienfium quidem comparatione, qui longae morae experimenta ab initiandis exigunt. Cum enim Theologos Lovanienfes pro meritis extulisset, ut ex dignitate Censuram latis in Lessium, & Hamelium Censuris estimationem conciliarem; ad Treverenses, & Moguntinos sermonem converti, ad quorum iudicia provocaverant, qui se minus aequo in nullo arbitrabantur. Adscriptitios iudices prioribus minime comparandos, dixi, non eo duntaxat nomine, quod Societatem professi essent, & causam domesticam ex jure decernere non possent; sed ex Academicarum conditione, quas Lovanienfi toto Orbe celeberrimae fauces sponte submittere, aequum esset. Academicas, in quibus non triduo, ut de casibus Patro-

nis ajebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur.

Tam subito Doctorem futuram, a me malo animo, & conviciandi libidine confictam, nemo dicit, qui hanc ipsam, a Parisiensi ceterarum omnium principe Academia, nec non etiam ab Lovanienfi celeberrima, diu ante me notatam intelliget, ac filo etiam mordaciori fuggillatam. Utriusque Academiae instrumenta conferre sufficit, ut res in propatulo fiat. De Academiis, Societatis curae commissis, queruntur Theologi Parisienses, quod studiorum disciplinam extinxerint, quod Doctores Theologos fingant uno die, quod praecoci inauguratione, non tam Magistros inicient, quam inopinios in disciplinis, ac litteris fungos effundant: quo vel uno, tamen alia non supererent, Trevirensis, & Moguntinam Academiam communi joco ludi, nemo non videt. Theologi vero Lovanienfes, Academiis, Societatis providentiae permiffas, singulatim indignantes, in quibus Studiorum disciplina praerequisita everta, lapsaque est, Trevirensis, & Moguntinam nominatim appellat. Quidni ergo in iis praeter ceteros Doctores uno die fabricari, & fungorum instar, germinare, fateamur, si Parisiensibus, & Lovanienfibus fidem damus; Per concordata, & Lovanienfibus Parisiensis, Capite 3. laudata) Pragmaticam sanctionem cautum est, ne iis gradus conferantur, qui studia non consummarint in Universitate sana. Jam quis non videat, disciplinam illam evertum iri, si Jesuitae in Privilegiis nostrorum possessionem veniant? Pevergrinum illum in altarium Academiae historia, esse oportet, qui nesciat, collapsam penitus disciplinam iis in scholis, in quas demum admiffi sunt. DOCTORES ILLIC UNO DIE FABRICANTUR; praecocis inaugurationum fechtus plus satis indicant, avem illos advenisse, qua in ipsis etiam Disciplinis, ac Litteris fungos edant. Longum illud, asperumque scientiarum iter, quo seges, atque inertes deterrantur, nullis iam impedimento erit, quo ex tempore ab iis contractum est. Mollities cum Litteris in gratiam rediit; quodque olim non nisi molesto sudore obtinebatur, sola nunc in Societatem mirificam veneratione obtinetur. Ita vero Lovanienfis Academia, scripto jam a me appellato, Cap. 3. Facultatum Academicarum Collegia vigorem, firmiterque suam perennasse, Universitatum, que adhuc exstant, exempla testantur. Cum enim praclarissimis e toto mundo ingenitis ad ea semper aditus pateat, non possunt in iis ingenia deficere, que praedecessorum doctrinam amula contentione perennent. De Societatis Collegiis, quantilla haberi potest experientia, nihil tale promittit. Notarunt multi imminutam ex nunc secolarum Societatis faciem, quoad discipline severitatem, quoad docendi methodum. Germaniae Universitates, quas Societas suo hoc novo modo regeudas suscepit, TREVIRENSIS, MOGUNTINA, MUSSIPONTANA &c. rigorem non intendunt, sed remittunt.

Ringatur itaque Syndicus Trevirensis, quod praecipitem illam Doctorem inaugurationem fuggillarum, meque, pro ingenita charitate, ob id unum, cavillatorem, sycophantam, mendacem, blateronem appelleret: in Academiam Parisiensem, & Lovaniensem, que eandem ante me fuggillarunt, convicia recident. Harum ego praesidio tutus, tanquam sub oneratis navibus navicula, delitefecam; atque interim in Aristarchum, sola lingua ferocem, Augustini verba regeram, Lib. 1. contra Julianum, Cap. 4. Cernis, cum quibus tua maledicta sustineam? Cernis, cum quibus tibi sit causa communis, quam nulla consideratione scoria pulsare calumnias, & expugnare, conaris? Cernis, quam tibi perniciosum sit, tam horribile crimen obicere talibus; & quam tibi gloriosum, quodlibet

crimen audire cum talibus? Si cernis, cerno, & tandem tace: audacem linguam tot linguis Catholicis deprimere, tot venerandis oribus proterva ora submittere.

II. Sed quid ille tandem, ut Doctores suos, longo molimine, lenoque ducta formari, probet, nosque putidi mendacii reos agat? Se totum excutit fervidus actor, Academiae suae statuta congerit, titulos laudat, quibus doctrinae experimenta praescribuntur, ut quis Treviris gradus obtineat: subeunda examina, Theses propugnandas, minutatim edisserit, ut unicuique praescriptum spatium observat; ac tum demum, ubi congestit universa, montemque pariturum, putes, Baccalaureum quatuor horis cudi, Doctorem senis formari, convincit, si tamen ad amissum servatur omnia. Hoc enim spatium (si singula in summam deducas) notata in Statutis experientia concluduntur. Nequid amplius ego dextero animo concipere potuissem, ut accusationem, rei confessionem probatam, ostenderem? Quidam uno die, aut etiam, si verbis standum, uno mane fabricatum dicerem, quod senis horis formatum ait? Tandem enim spatium nobis indulget uno mane etiam atra hiems, dum maxime bruma dies arcaevit. Et tamen si superis placet, suis illi statutis ad nucleum usque disponit, quasi Doctorem Trevirensis, longe more tormento, lento molimine, tardaque spei cruciatur, sapientiae sacris initiatum demonstrasset, meque jam naso suspensidistat, epicinium capit: Eat nunc, inquit ille, Sycophanta noster, & uno die fabricari Doctores, mentiaris. Eas tu potius, Declamator, & uno die fabricatum nega, quod senis horis fabricatum agnoscis. Ita scilicet viri, in obscuris Academiis innutriti, de Doctore Theologo abiectione sentiunt, ut cui formandum decennium impar esset, senis horis rite expiatum, existimant: illanque tantum non, ut Herculeum, habeant, (in quo praefeminando binoculum, expunsto die, coatinuavit Jupiter) si unius, alteriue disputatoris levem, ac defensorium impressionem sustulerit. Si quis forte juvenis facis litteris tinctus, de una, alterave Quaestione Theologica, blata nare loquatur, pedibus plaudunt choreas: ob sic itur ad atra! Puppis, & delictum Musarum, & magnum Jovis incrementum!

Pergit tamen Syndicus noster, reportata victoria fiducia tumidus, & epicinium, pro more suo, convicio abfolvit, ut mendacium exprobratae subita Doctorem inaugurationis exaggeret. Dicam ego verius, inquit ille, cum Pauli Emilii coquam imitari, qui uti ex uno apro sexcenta fercula confecit, ita & illum ex uno cerebello sexcenta mendacia fabricare. Longe verius dixerim ego, Metzenuum, pro nominis cognatione, Mæisonem coquam imitari, ita conviciis, ac dicitur in theatro ludere solitum, ut inde dicitur perulantibus jacta, Greci exagregate a potu vulgo dicerent: Vix enim illi periodus exit, in qua non probrum aliquod expuat; dicitur effundit pleno medio; tantum convictorum profusus, quantum rationibus vacuus. Nihil me hac parte mentium, probant celeberrima Academiae, quarum suffragia recentius: probat & ipse, qui tum maxime Doctores uno die apud suos fabricari, statuit, dum oppugnat.

III. Addam etiam, nec addidisse pigebit, minus firmum ex Statutis Academicis argumentum petiturum iri, si quid magni momenti decernerent, nisi iridem illa eadem sancte, & religiose servari, constet. Quis etenim fe vadem exhibeat, illa discipline capita, quantalacunque illa sint, ea aetate temporum servata esse, de qua nihil maxime sermo erat, cum maxime Theologi Lovanienfes jam tum ab anno 1619. dicitur moneant, Academicam

miam Trevirensis, & Moguntinam, discipline rigorem non intendere, sed remittere? Quis nesciat multa in obscuris Academiis ex lege sanciri, quae vel mittantur omnino, vel defensorie servantur, vel ex gratia temperantur? Ita scilicet socordia juvenum postulant; ne si summo cum illis jure ageretur, stultis, ac litteris valedicerent. Verus est illa de nonnullis Academiis expostulatio, in iis legum laxamenta pecunia redimi, experimenta prebentationibus temperari, majorem in augendo fisco, quam in ditando litterarum imperio, curam impendi. Quae tamen a me dicta nolim, quasi Academicam Trevirensis hoc loco habeam, sed ut intelligat Syndicus nos, leve, atque elumbe in Statutis, si gravia experimenta decrevisset, argumentum peti, nisi haec anno 1600., de quo mihi in Historia sermo fuit, observata, demonstraverit.

Dicam tamen, quod e re mea esse puto, & praesentem Academicam disciplinam satis prodiit. Vir pietate, ac litteris spectatissimus, Coloniae Doctor, Theologus, & Professor, qui & Treviris aliquandiu subsistit, de primis vulgatae Querelae rumoribus amicum, Romae degentem, per epistolam certiore faciens, die 13. Decembris, illud de praecipiti Doctorem inauguratione testimonium obiter tulit. Spargitur quoque ab Universitate Trevirensi, in qua, ut ipse oculatus sum testis, uno mane sum Doctores, aliquid esse expeditum contra Historiam Congregationum. Aa, & quid veri subsit, resiam proxime, nec omnium communicare. Conceptissima epistolae verba sunt (nam & is latine scribebat), quae meam, in notanda praecoci Doctorem futura, fidem absolvant.

Distinctum multo Vir alter eximius, Treviris degens, brevi epistola, die 3. Aprilis 1701. dato, cujus nobis fragmentum humanissime communicatum est, praesentem Academicam Senatus statum aperuit Doctorem Colonienfi pererudito, quo is familiariter utitur. Auctor Historiae Congregationum de Auxillis, scribebat ille, pungeret voluit irregularitatem Consilii Academici Trevirensis, dicendo, obscuri nominis esse, in eoque non triduo, sed uno mane fabricari Doctores. Id, quod non adeo abiectione loquatur. Siquidem ponas solos Jesuitas stat gubernatio politica Universitatis, & negotiorum ad illam spectantium tractatio; atque ita illi soli componunt Consilium Academicum; suntque de facto tantum tres: unus in Universitate Colonienfi promotus Doctor, & in tali qualitate hic nondum receptus; alii duo nullius gradus sunt. Quis, amabo, hunc Senatuum Academicum non dicat obscuri nominis? Excluduntur togati Magistri, & sedem deserere coguntur non promoti. Uno profecto mane promoventur illi Doctores Societatis, usque per primam, & solam lectionem in Theologia habitam. Neque, suorum tenacissimi, alios ad hunc Senatuum Academicum admittere volunt, ne ipsorum gubernatio turbetur. Sic sunt novissimi primi, & primi novissimi. Habetur quidem in Annalibus Universitatis, ut nullus ad Consilium admittatur, nisi promotus Doctor; sed nova alia Statuta ipsi componunt. Quid ad haec Universitatis Colonienfis, cujus privilegia nostra Trevirensis participat? &c. Quid porro aliud velim ego, aut unquam volui? Abiit enim, ut Theologos Trevirenses pertrinxerim universos, quos inter aliquos novi eruditione praestantes, ac suo nomine dignos. Consilium Academicum unice pertrinxit, quod unum Censuras expedit, comitia celebrat, gradus litterarios pro nutu dispensat, rem Theologicam moderatur, ac regit; consilium, inquam, triuo nunc, & quidem Molinae Serry Tom. II.

* Alludit ad industriam corrupelam, qua nonnullos Doctores promovet, praemisso Juremto, quo sponte, se nusquam Theologiam publice professuros.

(1.) Joan. Mariana Lib. de Regimine Societatis, Cap. 6.

no capite conclusum; quod nobis Syndicus liberalis, tanquam Areopagi consensum ostentat, quod de nobis, & Historia nostra sententiam dicat.

His cumulum addit alterius Theologiae Professoris meritissimi, Treviris commorantis, Responsum, die 4. Aprilis de scripto datum, quo nonnullis de vulgata Querela interrogatis satisfacit. 1. Non est verum, inquit, quod jactat Syndicus, quod a quatuor Doctoribus Quaestiones Candidatoe proponantur, cum soli Jesuitae examen faciant, qui non sunt Doctores, saltem promoti, licet doceant. Ex quo 2. facile deducitur, quod perfunctus quoadque fiat, maxime, si Creatura sit Jesuitica, aut si promotionem Jesuitae promoveant, & volint. Unde 3. constat, quod Theologum defensori saepe habeatur pro forma. 4. De lege eximentis non constat, neque de tempore, quo Statuta facta sunt; neque quis forma Juramentum * non docendi exigatur &c. Haec ille, cui, injurato licet, fidem habere malim, quam Syndico Trevirensi, vel ipsum, ut ajunt, Jovis lapidem juranti. Ringatur itaque servidus Aetoc, frontem feriat, probraque, atque convicia in me congerat, Quorum unus haud porret centum ratis incita remis; nihil majorem didici fidem afferet, sed adimet potius; nota dudum maiorum litigatorum arma, ut tum maxime ad maledicta confugiant, dum illos maxime ratio fuggit.

Mitto, quod alii moneant, Querelam non abique Theoe fuisse elaboratam; & alium quidem nomen, alium operam locasse. Id enim nemo tantillum emunctae naris, ex affectato stilo non facile deprehendit; & cautissimam, e schola esse, non e foro profectam, cuius villicus subolet.

IV. Jam ad alteram tituli partem accedo de numerata pecuniae suspitione, a me obiter observata. Id ego levi brachio tergeram ubi de scripto, ab decem Jesuitis contra Thomistam scholam elaborato, (de quo hic Capite 1. prolixè diximus) sermonem habens, conquisitas nonnullarum Germaniae Academicarum subscriptiones observavi, in hunc modum: Variarum obscuri nominis Academicarum, (in quibus & ipsi nunc maxime dominabantur) Ingolstadiensis scilicet, Graecensis, Dilingensis, Wirzburgensis, Moguntinae, Mussipontanae, Trevirensis, & Viennensis subscriptiones extorserunt; privata quidem industria, nec sine numerata pecuniae suspitione. Id a me haud temere observatum, brevi consideratione evinco, quantum in movenda suspitione factis erit; nec enim, uti rem certam, venditavi, tamen probe noveram a Joanne Mariana Jesuita generatim scriptam, uti rem competentem, & nulli dubiam, non mediocrem numerorum copiam in Molinae negotio impensam fuisse. Verba refero: (1) Solo dire, que con ocasion de un libro, que imprimio el Padre Luis de Molina sobre la gracia, y libre albedrio aquellos Padres (Dominicos) se alteraron grandemente, occidieron a la Inquisicion, y de alli a Roma, donde toda via anda el pleito, y se trata con grands porfia: que quando se solioffe con victoria, que todo esta en duda, AURA COSTADO MUCHOS MILLARES, y inquietud de muchos años. Quae latine sic reddo: Hoc unum dicam, occasione libri, a Patre Ludovico Molina editi, de gratia, & libero arbitrio, vehementer exarduisse Patres illos (Dominicos). Ad Inquisitionis Tribunal rem devolutum. Indo Romam translata, ubi adhuc sub Judice lis est, & cum magna animorum contentione agitur. Ex qua licet victores exardemus, quod adhuc valde incertum; certum interim,

Y 2 nul.

multis NUMMORUM MILLIBUS, & anxius plurimum annorum curis, statum rei vicariam. Sed de mea suspitione adhuc pauca.

Si Germaniae Academiis excipias, nulla de excitata Praedicatorum inter, & Jesuitas controversia iudicium tulerant, nisi quarente Romano Pontifice, & Generali Hispaniarum fidei Quaestore. Nulla hoc sibi sumptant, ut de pendente coram Apostolica Sede quaestione gravissima pronuntiarent, nisi a supremo Iudice sententiam rogatae. Immo piaculi instar habebatur, ad litigantium praesces de lite dicere, & partem alteram ex alterius narratione damnare. Ipsa etiam Academia Parisiensis, sapius accessita, a sententia temperaverat, ne falcem in alienam messem immitteret, & Summi Pontificis Iudicium anteverteret.

Atque inde fortasse factum, ut Syndicus Trevirensis eum Historiae nostrae locum mitius pertraxerit, quem jam tunc a nobis recognovimus, & emolumentum, fortassis inaudierat. Quod autem addit, inquit ille, libro 2. col. 186. Societatem in Belgio Germanicarum Academiarum iudicium exorsisse, non sine numerate pecuniae suspitione, tam futile est, ut confutatione non egeat. Nullo me, pro more, convicio protelet, nullo scommate ludit; quasi sua illi Rhetorica defuisset.

Dicam tamen obiter, videri, illum ne Historiam quidem meam perlegisse; qui, quod ego de Jesuitis, Romae positus, causamque contra Praedictores urgentibus, innueram; de Jesuitis, in Belgio degentibus, & ab Academia Lovaniensi inultis, dictum accepit: ut mihi apud Trevirenses suos majorem constaret invidiam, quasi eis praeter ceteris lati Iudicii nundinationem exprobrasset.

CAPUT VI.

Novissimus Historiae Congregationum Auctor, uti Germanicae Gentis conviciator, inique a Metzense traductus: perperam dissimulati nominis incusatus.

I. ET si me sub Gallico caelo natum, profitear, nulloque Germanicae Genti Sacramento obstrictus, vitales auras in libero solo ducam; ea tamen mihi de inelyta gente opinio infidet, cultus, veneratio, atque in omne obsequium pronus animus, ut ex tam multis, quibus me Metzense conviciis oneravit, hoc unum mihi exulceraverit animum, quo me, uti Germaniam conviciatorem, traducere, ausus est. Verum nota est illa nonnullorum ars, ut, ab exteris Scriptoribus accessit, Nationem integram una secum laceratam, dicitur; quo privatam causam publicam faciant, nec jam pro laribus, sed pro Patria decertare, videantur. Ita Bembus, a Justo Lipsio perstrictus, totam secum Italiam perstrictam, voluit; virumque Clarissimum, velut inelictae Gentis professum hostem, traduxit; caelumque terram miscuit, ut hanc illi invivam faceret. Alii, quibus dolent oculi, si quid de Patria ab Alienigena, quem depressum velint, notari, videant, iniquo animo dictum, clamant; tamen hoc idem a popularibus expressum fuerit observatum. Ita Germanos nonnullos, in Octavium Ferrarium commotos, vidimas: cum enim ingens Viri virtus, Regiis muneribus auda, quorundam oculos ureret; hoc illi virio dedere, quod corruptam olim Germanorum militarem disciplinam obiter observasset in ea Oratione panegyrica, qua Christiana Augusta laudes executus est, nec levem illi apud inelytam Gentem invidiam constarunt, quasi de ea minus digne pronunciasset.

Horum ego fortunam fubeo. Germaniam uni-

versam, in paucis, obscurisque Academiis perstrictam, clamat Metzense: quodque corruptam superiori saeculo disciplinam, non militarem quidem, sed Scholasticam, obiter dixerim; grande in Nationem inelytam attentatum scelus, contendit, tantum non morte piandum. At quid ego interim? Magorum virorum exemplo, nationis florentissima, quam nolo quidem offensam, iudicia non detrecto: Sed volo iudicia semper, & ne quid affectus officiat: quia ut oculos, in quem humor illapsus est, parum clare videt, ita mens, in quam ille. Ita Lipsius Epistola 6. ad Alphonsum Ciaconium. Ad populares scriptores provo-co, qui corruptam scholasticam disciplinam ante me observant, ut nihil a me amplificatum, nihil in majus auctum, certo constet. Ita Ferrarius in Epistola ad Nicolaum Heinsum: Summi Principis legatus, scribebat vix maximus, mihi turbas ciet sponte, sine eorum instigatione, qui novam banc felicitatem agris oculis aspiciunt: quod scilicet in Panegyrico Auguste de gentis illius corrupta militari disciplina inclementius locutus sum. Sed nihil a me constitum, atque in majus auctum intelliget, quicumque ejusdem gentis nuperos Historicos perlegit, praecipue Lotichium, immo a me non pauca atrociora silentio transmissa. Evolvat itaque Metzense jam a me appellatos Germaniae Scriptorum, Universitatum catastrophes enarrantes. Audiat contrerentanos suos, non in angulis, privatique scriptationibus, sed palam in sacris caetibus, neglecta litterarum studia, collapsas Academiis, remissam studiorum disciplinam, facunde exloquentes. Consulat Germanicarum Synodorum, Trevirensis, Moguntinae, Coloniae, de studiis erigendis edita decreta: legat Wigulcum, Collegii Monacensis Ingolstadtii Praesidem, in sua Metropoli Salisburgensi, deficientes paulatim, ac frigidescens, plerisque Germaniae Universitates anno 1570. distincte notantem. Ac tum demum, si jure quidem id potest, me unum Germaniam conviciatorem obtendat; qui, quod a Germanis accepti, multo modestius adnotarim.

Certe mihi Gallia patria est, in cuius cultu, veneratione, obsequio, fide, nulli concedo; pro qua etiam mortem oppetere, mihi votum: nulla tamen mihi religio fuerit, nonnullas Academiis, Parisiensis comparatione, obscuri nominis scholas dicere; Gallorumque neminem fore, puto, rerum nostrarum adeo immodicum aestimatorem, qui Patriae irrogatam injuriam dicitur; cum ad illius gloriam pertineat potius, eam fovere Academiis, quae ceteras majestatem obrerat; cuius comparatione nonnullae, etiam Gallicae, obscuri nominis censentur. Et me virum liberum, alieni juris, ac soli, traducet Germanus Syndicus, tanquam inelytam Nationem conviciis onerarim; quod nonnullas Germaniae Academiis obscuri nominis Scholas dixerim, comparatione Lovaniensis, quam Germanicis Universalitatibus illorum temporum Scriptorum (1) adnumerant!

Germanos omni retro aetate bellica laude floruisse, non diffitebitur, opinor, Syndicus Trevirensis; tamen corruptam militarem disciplinam, cadente saeculo decimo sexto, observavit non semel Joannes Petrus Lotichius, Germanus ipse, Lib. de Rebus Germanicis. Nunquid is inelytae Nationis conviciator? Dicit Metzense, si potis est. Quid si famosum Jesuitam Buhurium amularum, huiusmodi dubium movissem in libro Gallico, omnium terendo manibus: An Germanus homo praecleari ingenii laude praestare possit? Si un ALLEMAND DEUT-ETRE BEL ESPRIT. Ita ille in Colloquio Arithum inter, & Eugenium De

praeclearo ingenio; Du BEL-ESPRIT. (2) Cui quaestioni idem Jesuita respondet, Monitro simillimum esse Germanum, elegantis ingenio praeditum: Cuius est comme un prodige, qui un Allemand fait spirituel. "Si quid tale mihi excidisset, toti Germanorum Genti tam contumeliosum, Deus bone! quot clamores, quot convicia, paucula haec verba Trevirensi Syndico excivissent, qui tam terro me censeri nomine, quod corruptam Germanicarum Academiarum disciplinam brevi verbo significarim?

II. Sed neque potiori jure dissimulatum mihi nomen exprobrat: importuno tamen quaestore satisfaciet Salvianus, Epistola ad Salonium: Sed requirit forsitan aliquis, quis ille Auctor sit, si Apostolus non est; & usram suam libellis ipsis, an alienum nomen inscripserit? Verum est, potest hoc quidem queri, & recte queritur, si inquisitio valet ad aliquem fructum pervenire: ceterum si infructuosa est, quid necesse est, ut laboret curiositas, cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio? In omni enim volumine profectus magis queritur legiton, quam nomen Auctoris: & ideo si profectus est in lectione, & habet, quilibet ille est; quod potest instruire lecturas; quid ei cum vocabulo, quod jurare non potest curiosus? Ita ut dignissimo huic Inquisitori Angelicum illud respondeatur: Patriam queris, an Mercenarium? Cum enim nullus profectus sit in nomine, qui profectum in scriptis invenit, superfluum nomen scriptoris inquiri.

Equidem Metzense, in multae gloriolam quaerens, brevi pagellae nomen, ac titulum phaleras inscripserit, tanquam immortalitatem negotiaturus: multumque interesse, putavit, ut sciret fera posteritas, ingentis moliminis, tantarumque vigiliarum opus profectum a prenobili, clarissimo, consultiusque Viro, ac Domino D. Carolo Gaspario Metzense, Juris utriusque Doctore, & Syndico Universitatis Trevirensis. Nos exiguum opellae nostram haud tantum fecimus, ut titulos fronti praegeremus; tenuemque factum, sine nomine, veluti capite minurum, in publicum missimus. Verum si nos idcirco tenebrosos vocandos existimamus, eodem tam multis Ecclesiae Patres, ac veteres Tractatores, scommate feriat, qui, aut tacito, aut dissimulato nomine, rem litterariam, & Ecclesiasticam locupletarunt.

Et vero iustam quandoque subesse tacendi nominis causam, evincunt Clementis VIII. sancitae leges de Impressione librorum. Paragrapho 1. ubi cum statuisset sanctissimus Pontifex, Auctoris nomen librorum frontibus praesigendum; & vestigio subiungit; subesse tamen aliquando posse iustam reticendi nominis causam, iudicio Praesidium approbandam. Ecquis porro Metzense nobis praesidium dedit, ut nostras illi dissimulandi nominis rationes exponeremus? Clementis verba subijcio: Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam praeferas Auctoris. Quod si de Auctore non constet, aut iustam aliquam ob causam, tacito ejus nomine, Episcopo, & Inquisitori liber editi posse videatur; nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.

Certe, si quando silentium Auctoris resarcire potest Censoris nomen; quanto felicius resarcisse putandi erunt undecim variarum Academiarum, & Ordinum Professores, Approbatores Synodales, qui, datis suffragiis, Historiam Congregationum, non sine laudis pretatione comprobant: ut jam non unum, sed multa admodum nomina fronte praefert?

III. Egregium sane Censorem, qui nos ob dif-

(1) Jacob. Mid. de Lib. 5. (2) Entretiens d'Arise, & Eugene par le P. Bouhours Jesuite, Du bel esprit V. la Table 1. edit. p. 233. 2. edit. p. 302.

simulatum nomen tenebriones appellat, nec tamen quid iis, quorum causam agit, dorso pendeat, animadvertit! Quoniam ergo vocandi nomine, qui non modo libros, cæcis, aut confectis nominibus, edunt, nullisque Censorum calculis approbatos, in vulgus mittunt, quales nobis centenos exhibet Societatis Bibliotheca, verum etiam, qui a Regibus, a Cardinalibus, & Episcopis, de libris, adversus Regiam, & Episcopalem Auctoritatem clanculum editis, ex Juris forma in Galliis interrogati, nihil hujusmodi quidquam e Societate profectum, data de scripto Regi publica fide, contestantur: quibus tamen Allegambius, libero sub celo positus, ora verberat, domesticos fatus agnoscens; Is quippe *Amphitheatrum honoris*, (1) sub eminentio Bonarçii nomine, contra Regiam Auctoritatem evulgatum, quod a Societatis viro minime editum, Henrico IV. Cottonius coatestatum erat, a Carolo Scribanio, Concellita suo, compositum probat, aliaque lucubrations adversus Ecclesiasticam Hierarchiam, confectis Danielis a Jesu, Nicolai Smithei, Hermannii Lœmelii nominibus, publicatas, quas a Societate nequam profectas, ejusdem Præpositi, Lutetie degentes, dato Cardinali Richeloi, aliisque Præsulibus Instrumento, profecti fuerant, ab Edoardo Knoeto, & Joanne Floyd, Societatis Professoribus, elaboratos agnoscit. (2)

Rem certe ludere festivam! Idem, quod ego, argumentum tractaturi quondam alias Franciscus Annatus, & Leonardus Sherlogus, Societatis Actores publici, Eugenii Philadelphi, & Pauli Leonardii nomina induerunt, innocuo capite: Contra Jensenium de Divinis Auxiliis disputans, Joannes Martinonus, sub Antonii Moraines larva, & Stephanus Dechamps sub Antonii Richardi nomine delituere: peregrina nomina affectarunt alii bene multi, quibus eandem telam redordiri placuit, & si quidem, latere tecto. Unus ego a Syndico Trevirensi vapulabo, tametsi fidei meæ sponsores, ac vades undecim dederim? Erunt aliorum opera ære digna, alieno licet nomine proflent; nostra ob id unum igne damnanda. *Fibine licet, scientissimum caput, de cunctis Tractatoribus fore sententiam, & quasi censoria virgula alios eiecerit de Bibliothecis, alios recipere?* (3) Define itaque querelaram, aut æqua in omnes virga animadvertet, qui ascriptione nomine suas hoc de argumento lucubrations evulgarunt.

IV. Sed quo tandem censoria Metzæni Declaratione operculum: *Atque hæc sunt præcipua justissimarum querelaram capita, quas pro meo munere contra Auctorem anonymum Historiæ Congregationum in hoc Academico consessu depono: simulque librum offero, scammatis, calumniis, mendacis plenissimum; almae hujus Universitatis judicio relin-*

(1) Petrus Avel. in Proleg. (2) Lud. de la Salle. Steph. Binet. Jul. Hainevve. Claud. Maillar. (3) Ep. 75. ad Vigil. (4) Juven. in Satyr. (5) Luc. 6. v. 42. (6) Lib. 2. Cap. 7.

CENSURA.

Hæc Defensio Auctoris Historiæ Congregationum de Auxiliis nec a regulis fidei, aut honorum morum devia est, nec moderamen inculpate tutelæ excedit. Actum Antuerpiæ hac 16. Maii 1701.

ARNOLDUS EYBEN, Librorum Censor.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. Caroli Metzæni, Syndici Trevirensis, Quærela, Scripitionis occasio, & argumentum. 1029. CAP. II. Nullarum Germaniæ Academicarum Justitiarum, quibus transmissum Societatis scriptum anno 1599. approbatur, a nupero Congregationum Historico jure rejecta. 1032. CAP. III. Nonnullis Germaniæ Academicis obscurat nominis, citra irridiam obiecta. Belgicarum præsertim comparatione. 1040. CAP. IV. Academia Trevirensis, & Maguntina Judicium, contra Censuram Lovaniensem, anno 1588. pronuntiatam, a nupero Congregationum Historico, leve, atque elumbe merito dictum. 1050. CAP. V. Præcepta nimis, ac subita Doctorum Theologorum inauguratio, in quibusdam Germaniæ Academicis, merito suspicita. Númerate pecunie suspicio, ad extorquendam quarundam Academicarum judicium, haud temere observata. 1058. CAP. VI. Novissimus Historiæ Congregationum Auctor, uti Germaniæ Gentis conviciator, inique a Metzæno traductus; perperam dissimulati nominis inculpatus. 1064.

A P.

quens, quam Censuram, panamur mereatur. Bellum profecto! scilicet, postquam me mille conviciis, diceris, calumniis oneravit, Lavertionem, mandacem, scopbantam, blateronem, imputentissimum, vesperilionem, arri ingenii virum dixit: Librum meum, utpote scommatis, calumniis, mendacis plenissimum, damnari postulat vir modestissimus!

Lorpedem rectus derideat, æthiopen albus.

Quis tulerit Græcos de seditione querentes?

Quis calum teris non misceat, & mare celo,

Si fur displiceat Verri, si homicida Milano?

(4)

Hoc dico tantum: binæ Metzæni periodi plus continent acoris, & fellis, quam universa Auxiliorum Historia. At id Lippis proprium est, mala sua, oculis inunctis non pervidere, in aliorum autem defectibus tam cernere acutum, quam aut Aquila, aut Serpens Epidaurus. *Papulas observatis alienas, ipsi obstri plurimis ulceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum nevos, aut verrucas derideat, quem fœda scabies depascitur.* Seneca Lib. de vita beata, Cap. 27. *Ejice itaque, Metzæni frater, primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* (5)

Jam quod me ad Academiæ tuæ tribunal traducis; a te, tuique similibus provoco. Liber homo sum, alieni juris, ac fori. Ad hæc, adversa mihi pars; in quam non ea modo lacinia, quam carpere libuit, sed & integra Auxiliorum Historia edita est, jurisdictioni præest, totumque Theologicum tribunal constat, in quo Censuræ, ac judicium expediuntur. Porro virum, Juris utriusque Doctorem, latere non debuit, quid ea de re Jura statuant. *Qui Jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque Usuri, neque Liberis suis, neque ceteris, quos secum habet.* Lege qui Jurisdictionis 10. ff. de Jurisdictione. Item, *Iniquum est, aliquem suæ rei judicem fieri.* Lege Julianum 17. ff. de judicis. Si quid itaque, posthabito Juris ordine, contra me moliantur; si judicium affectent; si quam mihi notam inurant; honoris loco ducam, gloriosam, illustremque contumeliam reputabo. Nec enim ea mente calamo manum admoveram, ut partis adversæ gratiam demererer, eamque mihi propitiâ facerem. Quod de Cardinali Bellarmino, extorta iniquis malevolorum artibus, Censura inulto, notatur Fulgatus, & Petra sancta, potiori Jure usurpabo. *Criminatio intra gloriam fuit.* (6) Gelasii Romani Pontificis oraculum alta mente desigam: *Si injusta sententia est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, & Ecclesiam ejus, neminem potest iniqua gravare sententia.* Can. Cui est, Causa 11. Quæst. 3.



APPENDIX HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS

Qua varia continentur Instrumenta, seu Scripta paulo prolixiora, quam ut Historica Narrationi commode inferi poterint; quæ idcirco in hunc locum consultu missa sunt.

I.

JOANNIS GRIMANI PATRIARCHÆ AQUILEJENSIS EPISTOLA AD VICARIUM UTINENSEM.

Circa materiam de Prædestinatione, & indirecte de Gratia.

REVERENDE VICARIE, (1)



Quandoquidem scribis mihi, Concionatorem Ecclesiæ Collegiæ Utinensis proposuisse, tanquam certam conclusionem: *Prædestinatum a Deo damnatum nullo modo esse posse, etiamsi contingat, ipsum peccare; quia, quantumcumque cadat in peccatum, Deus illum ab illo extrahit, ita ut in fine debeat salvus fieri: & similiter præstitum a Deo damnari, necesse esse: & dicitis, ipsum eo pacto proposuisse, electionem, & prædestinationem esse necessariam, ut salus, & damnatio non sint in nostra voluntate, & arbitrio; iisque adjungis hæc formalia verba: Hinc ortum populo, immo in te ipso magnum scandalum, & ruiorem; quasi ille omnino negasset liberum arbitrium nostrum, ob stabilitam electionem, & prædestinationem Dei: & ideo, cum scripseris mihi, te noluisse quicquam innovare, ad reparandum hoc scandalum, absque meo consilio; cogor nunc ex officio, propter onus, quod sustineo, tibi dicere omnia, quæ censeo, quoad id, quod Deus mihi manifestat medio Sacrarum Scripturarum; atque adeo sub ea brevitate, quam mihi tempus concedit. Ad confirmandam veritatem, adstringor fateri, conclusionem Concionatoris, qui populo fuit scandalum, esse veram, & Catholicam, hoc est, prædestinatum damnari non posse: sicut nec prædictum salvari. Atque, ut com-*

mode hoc probetur, intendo, probare auctoritate Scripturæ, prædestinationem, & reprobationem esse solum a Deo; deinde ostendere, ipsam non posse impediri a Deo, vel a Satana, vel a nobis: igitur a nemine. Et hoc fiet tum vi Scripturæ, tum claris rationibus, & doctrina D. Augustini; protestando tibi, quod, cum non suppetant tempus, & memoria, non possum vel minilemiam probationum partem adducere pro hac Catholica veritate. Sed primum necessarium est, quod si D. Paulus, Vas Spiritus Sancti, scribendo ad Romanos de hac electione, & reprobatione, post multa adducta testimonia, exclamavit in hæc verba: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* (2) nos omnes etiam nunc, dando gloriam Deo, exclamemus cum eodem, idque tanto magis, quanto longius a perfectione D. Pauli distamus. Verum, quia Christus nunquam, juxta suam verissimam promissam, subtraxit ab Ecclesiâ lumen Spiritus Sancti, quo eam induxerat in omnem veritatem, atque adeo per intervalla temporum, servato nobis membrum suis semine suæ gratiæ, ne steriles, & peiores generatione Sodomæ relinqueremur, conservavit Spiritum Sanctum, ad consolandos nos adversus errores, & inimicos gratiæ. Hæc est veritas, quam nunc profiteor, prædestinatos, & electos a Deo, secundum beneplacitum suæ voluntatis, damnari non posse; & etiam præcitos, & reprobatos salvari non posse. Et hoc verum esse, Paulus, afflatus a Deo, circa profundum hoc prædestinationis, & reprobationis arcanum, Roma-

(1) Ad paragraphum ultimum Præfationis Hist. de Auxiliis. (2) Ad Rom. 11.